

*DA.* quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?

30 *MY.* ō hominem audacem! *DA.* verum: vidi Cantharam  
suffarcinatam. *MY.* dis pol habeo gratiam  
quom in pariundo aliquot adfuerunt liberae. 770

*DA.* nē illa illum haud novit quōiu' causa haec incipit:

“Chremes si positum puerum ante aedis viderit,  
35 sūam gnatam non dabit”: tanto hercle mage dabit.

*CH.* non hercle faciet. *DA.* nunc adeo, ut tu sis sciens, 775  
nisi puerum tolli' iām ego hunc in mediam viam  
provolvam teque ibidem pervolvam in luto.

*MY.* tu' pol homo non es sobrius. *DA.* fallacia

40 alia aliam trudit: iam susurrari audio  
civem Atticam esse hanc. *CH.* hem. *DA.* “coactus legibus 780  
eam ūxorem ducet.” *MY.* aū ōbsecro, an non civis est?

*CH.* iocularium in malum insciens paene incidi.

*DA.* quis hīc loquitur? o Chreme, per tempus advenis:  
45 ausculta. *CH.* audivi iam omnia. *DA.* an⟨ne⟩ haec tu  
omnia?

*CH.* audivi, inquam, a principio. *DA.* audistin, obsecro? 785  
hem

scelera! hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi.

hic est ille: non te credas Davom ludere.

*MY.* me miseram! nil pol falsi dixi, mi senex.

50 *CH.* novi omnem rem. est Simo intus? *DA.* est.—

*MY.* ne me atti[n]gas,  
sceleste. si pol Glycerio non omnia haec .. 790